




AVGVSTISSI-
MORVM

IMPERATORVM,

SERENISSIMORVM REGVM,
ATQVE ARCHIDVCVM, ILLVSTRISSIMORVM PRINCI-
pum, necnon Comitum, Baronum, Nobilium, aliorumq; clarissi-
morum virorum, qui aut ipsi cum imperio bellorum Duces fuerunt,
aut in iisdem præfecturis insignioribus laudabiliter functi sunt,
verissimæ imagines, & rerum ab ipsis domi, forisq; ge-
starum succinctæ descriptiones.

QVORVM
ARMA, AVT INTEGRA, AVT HORVM
PARTES, QVIBVS INDVTI, VSQVE ADVERSVS HO-
STEM HEROICA FACINORA PATRARVNT, AVT QVORVM AVSPICIIS
tàm prospera quàm aduersa fortuna res magnæ gestæ sunt, à Serenissimo Principe
FERDINANDO, Archiduce Austriæ, Duce Burgundiæ, Comi-
te Habsburgi & Tyrolis &c.

Ex omnibus ferè orbis terrarum Prouinciis partim conquisita, partim
ab illorum hæredibus & successoribus transmissa, in celebri Ambrosianæ arcis Arma-
mentario, à sua Serenitate non procul ciuitate OENIPONTANA
extracto, conspiciuntur.

OPVS
Prælibati Serenissimi Archiducis iussu in vita inchoatum, & ab eiusdem Serenitatis con-
siliario & Secretario IACOBO SCHRENCKHIO a Nozingen conti-
nuatum & absolutum.



OENIPONTI,
Excudebat Ioannes Agricola.

M. DC. I.
Cum Priuilegio Cæsareo.



IOANNES IACOBVS
MEDICES
MARCHIO MELINIANI.

IOANNES IACOBVS Medices, qui postea Marchio-
nis Meliniani nomen tulit, ex illustri Medicea Florentinorum
illorum, qui propter civiles discordias Mediolanum se cōtulerunt,
familia patre Bernhardino mediocri conditionis anno Millesimo
Quadringentesimo Nonagesimo octauo natus, fratres in militia cor-
poris dispositione, gratissimi aspectus, spiritu erecto & animo, & ad res gerendas intrepido. Fran-
cisco Secundo Sfortia ad Ducatum Mediolanensem assumpto Astorem Vicecomitem (cuius maiores
aliquando Mediolani gubernarant) opum potentia fretum, rebus studentem nouis, & Francisco minus
obedientem occidit. Quod homicidium, siquidem Sfortia coniuente perpetratum erat, ut occultum ma-
neret, eius iussu Mediolano excessit, & ad lacum Larium se continuit. Musium arcem munitissimam, non
procul à ripa in verrucosa crepidine sitam, trinis per gradus coronis circumdatam, cuius prefectus facinoro-
sis hominibus receptis viciniam omnem infestabat, impetratis à Sfortia militibus & tormentis, in suam po-
testatem redegit, ac sub titulo Castellani possedit. Paulò post etiam tres pagos ad eundem lacum, & ad Cano-
rum Rhetorum dominium pertinentes occupauit. A Rege Galliarum Francisco Valesio Ticinum obsidente
in auxilium euocatis horum Rhetorum sex millibus, Iohannes Iacobus, quòd eorum vires diminutas co-
gnosceret, oppidi Clauennæ præcipuam in Rhætis istis arcem, huius prefecto insigni strategemate elcito de-
ditione cepit. Rhæti igitur ex Gallicis castris redeuntes, suis ut opem ferrent, arcem obsederunt, ubi Iohannes
Iacobus fortiter pugnando vulneratus, pactis conuentis, postquam ipsi duodecim millia aureorum nume-
rassent, & trium supradictorum pagorum iuri plena, liberaq; cessione renunciassent, arcem restituit. Deinde
Leucum firmissimam arcem obsidione cinxit. Celebrabatur iam passim eius virtute militari Carolus
Quintus Imperator, procurante Antonio Leua, summo Cæsarei exercitus duce, eum suis seruitijs adiunxit,
atq; non solum Leuci, verum etiam Musij Marchionem creauit. His possessionibus auctus, naues pro sui de-
fensione ad Larium lacum construi iussit, militibus suo stipendio addictis, & omni necessario apparatu in-
struxit. Mongucio occupato, rerum usq; ad Montebrianensem ditionem potitus est. Carolo Quinto in Ger-
maniam reuerso, & ab hoc Francisco Sfortia Ducatu Mediolanensi restituto, Iohannes Iacobus in quieti ani-
mi, & domini sui augendi cupiditate inflammatus denuò in Rhætos cum exercitu profectus Vallis Telinae
oppidum obsedit, & Marbenam intrauit. Rhæti igitur sædere cum Sfortia inito, ad resistendum se paraue-
runt. Sfortiani Mongucium, & Leucum, Rhæti Musium acriter oppugnauerunt. Iohannes Iacobus postea-
quam Mongucij obsidionem per aliquot menses fortiter sustinuerat, tandem viribus ad defensionem defi-
ciens noctu exiensq; cum suis saluis Leucum peruenit. Ibidem similiter noctu egressus, rumore excitato sibi
auxilia aduenisse, in castra Sfortianorum irruptione facta maximam eorum partem cecidit, & Rhætorum
ducem captiuum Leucum abduxit. Idem quoq; in Musij arce obsessus egit, dum in hostium castra de nocte
impressionem faciens eos confternatos infugam coniecit, maxima præda potitus, & tormentis in lacum de-
mersis victoriosus in arcem reuersus est. Sfortianis secundum Leuci obsidionem continuantibus, Iohannes Iac-
obus Comum obsidere constituit, iamq; cum classe sua eò proficiscebatur, cui Gabriel frater præerat. Hic ab
excubitoribus, qui in ripa lacus confederant, tormenti globo ictus occubuit. Qui casus, & quòd iam pecuniæ
inopia ad alendū militē Medices laboraret, conatus eius irritos fecit, ita, ut cū Sfortia ad pacis condiciones in-
eundas compulsus sit. Sfortia receptis Leuco & Musio ipsi Melinianum Marchionatum numerata quoq;
immensa pecunia possidendum tradidit. Mortuo Sfortia, Carolo Quinto in bello Gallico fidelem operam
nauauit. Ad Ferdinandū Germanorū Regē cū tribus millibus Italoꝝ peditum in Vngariā profectus strenui
ducis, militisq; officio ita functus est, ut Rex & summo amore ipsum profectus sit, & maximis muneribus
cumulatum dimiserit. Carolum Quintum in bello Cliuensi, Landresiano, Sandesiriano, & Smalcaldio, in
quo etiam legionem Germanorum peditum duxit, secutus, machinarum bellicarum supremam præfectu-
ram summa cum laude gessit. Tumultuantibus Boëmis aduersus Ferdinandum eorum Regem, à Carolo
cum eadem legione fratri in auxiliū missus est. In Mediomatricensi expeditione, quatuor millia Italoꝝ
peditum Carolo Cæsari adduxit. In Italiam demum reuersus, in bello, quod Cosmus Dux contra Se-
nenses gessit, ab eodē Duce euocatus, & conductus, summus toti belli administrator, exercitusq;
imperator electus, & constitutus fuit. Senis recuperatis, ad occupandum Portum Herculis animū
applicuit. Superatis præter omnium opinionem difficultatibus, incredibili celeritate exercitū
traduxit. Præsidarij inopinata obsidione pressi, cum resistere non auderent, mox se dedide-
runt. Et hic belli Senensis finis, victoriarum præteritarum Melinianarum stabilimen-
tum, Cosmoq; pax cum securitate restituta fuit. Post infinitos tandem belli labores
Mediolanum reuerso, Philippus Hispaniarum Rex ob præstantissima eius me-
rita Ducatus Mediolanensis administrationem committere statuerat, &
sanè factum fuisset, si non lethali infirmitate correptus vitam cum
morte commutasset. Obiit Mediolani anno M. D. LV.
ætatis suæ Quinquagesimo octauo.